

9.10. & Ephes. 1. Atque hæc fuerunt Pelagianæ hæreseos venena nocentissima notissimæque, de quibus vide August. epist. 89. 90. 92. 94.

CAP. LXXXIX.

Peroratio operis in qua docet varia esse hæreticorum genera, quorum errores nosse fit perutile.

Ecce quàm multas commemorauimus hæreses, nec tamen modum tuæ postulationis impleuimus. Ex quo enim Christiana religio, ut verbis tuis utar, hereditatis promissa nomen accepit, quæ hæreses ortæ sint, quomodo commemorare omnes potui, qui omnes nosse non potui? Quod ideo existimo, quia nullus eorum quorum de hac rescripta legi, omnes posuit. Quandoquidem inueni apud alium, quas apud alium non inueni, & rursus apud istum quas ille non posuit. Ego autem propterea plures quàm ipsi posui, quia collegi ex omnibus quas omnes apud singulos non inueni, additis etiam his quas ipse recolens apud ullum illorum inuenire non potui. Vnde merito credo nec me posuisse omnes, quia nec omnes qui de hac rescripserunt, legere potui, neque hoc quenquam eorum video fecisse quos legi. Postremo etiã si omnes forsitan, posui, quod non puto, utrum omnes sint utique nescio. Et ideo quod vis me loquente finire, non saltem potest me cognoscente comprehendere. Audiuisti scripsisse de hæresibus sanctum Hieronymum, sed ipsum eius opusculum, nec in nostra bibliotheca inuenire potuimus, nec unde possit accipi scimus. Quod si tu scieris peruenias ad illud, & forsitan habebis melius aliquid quàm